

obstat, quod nullam in corporum pondere inæqualitatem deprehendere liceat; ejusdem corporis idem pondus tum hîc Romæ, tum in America per balances experimur. Etenim pondus examinandum comparamus cum alio pondere quod in Americam translatum æque mutatur, ita ut eadem maneat ponderum relatio, ac proinde corpus, quod hîc inventum est libræ unius, debet & in America unius libræ pondus demonstrare. Re quidem vera si possemus perfecte nosse vim quam nos hîc in sustinendo pondere exercemus & ejusdem vis meminisse ubi pondus in remotam regionem transfertur, liceret ex ea vi æstimare auctam vel imminutam gravitatis vim. At nostri conatus nobis omnino ignoti sunt, vix crassio rem quamdam comparationem sensationum ope instituimus, subtiliora discrimina nequam percipimus, atque etiam ipsæ vires nostræ mutantur in horas.

IV. Gravia esse corpora omnia jam apud cultiores philosophos compertum est. Et quidem pondus demonstrant corpora omnia in quibus experimenta sumere licet, ne his quidem demptis corporibus quæ a vulgo imperito levissima creduntur. Ita fumus qui in aere sursum ascendit, facto vacuo Boyleano, deorsum relabitur proprio scilicet pondere. Quod ergo fumus per aerem sursum evehatur id tribuendum est majori aeris gravitati, qua fit ut aer majori conatu tendat deorsum ac proinde fumum propellat sursum. Itaque nulla est vera corporum levitas, sed *relativa* duntaxat & *apparens*. Quare distinguenda est gravitas in *absolutam* & *rc-*